

MISSA PRO PAPA

ANTIPHONA AD INTROITUM

Mt 16, 18-19

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiám meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni cælórum (T.P. allelúia).

COLLECTA

Deus, qui providéntiæ tuæ consílio super beátum Petrum, céteris Apóstolis præpósitum, Ecclésiám tuam ædificári voluísti, réspice propítius ad Papam nostrum Benedíctum, et concéde, ut, quem Petri constituísti successórem, pópulo tuo visíbile sit unitátis fidei et communiónis princípium et fundaméntum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Vel:

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum Benedíctum, quem pastórem Ecclésiæ tuæ præesse voluísti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest profícere, ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum...

Vel:

Deus, qui in apóstoli Petri successióne fámulum tuum Benedíctum elegísti totíus gregis esse pastórem, supplicántem pópulum intuére propítius, et præsta, ut, qui Christi vices gerit in terris, fratres confírmet, et omnis Ecclésia cum ipso commúnicet in vínculo unitátis, amóris et pacis, quátenus in te, animárum pastóre, omnes veritátem et vitam assequántur ætérrnam. Per Dóminum...

SUPER OBLATA

Oblatis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus, et Ecclésiám tuam sanctam, una cum Papa nostro Benedícto, quem ipsi constituísti pastórem, assídua protectióne gubérna. Per Christum Dóminum nostrum.

ANTIPHONA AD COMMUNIONEM

cf. Io 21, 15. 17

Simon Ioánnis, díligis me plus his? Dómine, tu ómnia nosti; tu scis, Dómine, quia amo te (T.P. allelúia).

POST COMMUNIONEM

Mensæ cæléstis partícipes effécti, súpplíces te, Dómine, deprecámur, ut, huius virtúte mystérii, Ecclésiám tuam in unitáte et caritáte confírmes, et fámulum tuum Benedíctum, cui pastorále munus tradidísti, una cum commísso sibi grege salves semper et múnias. Per Christum Dóminum nostrum.